



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Restitutione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

tractu venditionis legitur *Filliuc. tom. 2.*
rr. 2. & rr. 35. par. 1. c. 1. Azor. to. 3 c. 8.

De Restitutione.

12 **EX** damnificatione, vel furto &c.
 sequitur restitutio. Est autem red-
 ditio rei alienæ domino suo, aut ad
 quem spectat. Et ad hanc faciendam te-
 netur homo regulariter sub mortali, nisi
 sit paruitas materiæ, aut aliàs excusetur,
 vt infra.

13 Radices restitutionis, seu in qui-
 bus fundatur obligatio restituendi, pos-
 sunt esse tres: nempe, vel ex re accepta, vel
 ex iniusta acceptione, vel ex contractu.
 De hac vltima nihil aliud est dicendū,
 nisi quòd in soluendo, aut aliquid aliud
 faciendo, seruari debet qualitas, & na-
 tura contractus: si verò sit elapsum tem-
 pus, in quo ex contractu quis tenetur
 restituere, aut dare, & culpa sua non dat;
 iam incipit esse iniustus detentor: & sic
 tenetur etiam ex iniusta actione, seu de-
 tentione.

14 Ex re accepta tenetur ille, qui li-
 cet sine peccato rem habeat, seu bona

M 4 fides

fide; tamen cum cognouit, non esse suam, tenetur restituere: & sic dicitur possessor bonæ fidei, quia sine peccato possidebat rem alienam, putans esse suam, aut habens ius illam retinendi ad tempus. Ex iniusta acceptione, vel actione tenetur ille, qui cum peccato, & iniuste alienam rem habet, aut detinet, aut damnificat, & dicitur possessor malæ fidei. Inter hos est hæc differentia.

15 Possessor bonæ fidei pro illo tempore, quo fuit in tali possessione; non tenetur restituere, nisi rem, quæ extat: & si extant aliqui illius fructus naturales, aut misti; tenetur restituere, sublati expensis, & laboribus, &c. Si non extant; tenetur restituere id, in quo factus est ditior. Si nihil extat; ad nihil tenetur. Ad possessor malæ fidei tenetur restituere rem, & omnes fructus eius, subtractis expensis, siue extent, siue non extent: & præterea tenetur ad integrum damnum, quod ex illius iniusta actione alius passus est.

16 Fructus rei sunt in triplici differentia. Alij sunt merè naturales, vt partus pecorum: alij misti, vt fructus vinearum; alij

alij merè industriales, vt lucrum ex lu-
do, partum ex aliena pecunia, & similia.
Fructus merè industriales non sunt ob-
noxij restitutioni: sed naturales, & mi-
sti, subtractis expensis, &c.

17 Ex his intelligi potest solutio mul-
torum casuum in particulati, circa resti-
tutionem. v. g. aliquis habuit equū bona
fide a latrone, putans ipsum esse domi-
num, & illum detinuit per annum, & per
illum lucratus est centum: postea rescit
equum fuisse furto ablatum, & etiam
scit dominum illius; non tenetur nisi e-
quum Domino restituere: & si consum-
psit omnes fructus, & in nullo factus est
ditior; ad nihil aliud tenetur: si verò ex-
tat aliqua pars fructuum, vel aliquid, in
quo ex illis factus est ditior; tenetur ad
illam partem, sublati expensis, &c. Si
verò emisset equum ex fure, maximè si
id esset ignoranter; non tenetur red-
dere domino, sed posset reddere furi ad
recuperandum pretium: quia satis est re-
ponere rem in loco, in quo erat, nec te-
netur reddere meliorem. Si autem fur
non compareat, aut nolit pretium resti-
tuere, tunc tenetur reddere domino,

M 5 etiam

etiam cum amissione sui pretij: quia tenetur ex re accepta, quæ extat. Idem dicendum est in similibus.

18 Et contra, si aliquis furetur equum alterius, cum teneatur etiam ex iniusta acceptatione; tenetur reddere equum, vel eius pretium, si equus mortuus fuerit, (nisi fortè eodem modo mortuus fuisset apud dominum,) & præterea resarcire damnum, quod passus est dominus eius, & reddere fructus perceptos, sublatis expensis, siue extent, siue non extent, & sic de similibus. Itaque semper in his casibus aduerti debet, ex qua radice oriatur restitutio, vt iuxta illius regulas fiat. Vbi aduertendum est, quòd contingere potest, vt aliquis teneatur ex re accepta vsque ad aliquod tempus: postea verò quia culpabiliter non restituit: teneatur ex iniusta detentione. Quare pro tempore sequenti obseruandæ erunt leges restitutionis ex iniusta actione.

De turpi lucro.

19 **T**urpe lucrum non est necessarid restitueudũ, nisi iniuste accipia-

epiatur. Dicitur autē turpe lucrū, quod habetur ex aliqua actione mala, aut peccaminosa: ut lucrū meretricū, dummodo sit proportionatum operi, quasi iustum pretium. Itaque si quis accipiat pecuniā ad occidendum hominem; & occidat; potest illam retinere, quia vēdidit operam suā, licet malam: tenetur tamen ad damnum, quod intulit occiso. Tenetur etiam ante adimpletam conditionem rescindere contractum, pretio restituto, aut cum obligatione restituendi.

2o Iudex potest retinere pretiū, quod recepit per ferēda sententia iniusta: quia vēdidit operam suam, licet malam. Tenetur verò ad restitutionem damni illati per sententiam iniustam. Non potest tamen retinere pretium pro ferēda sententiā iusta, quia ex iustitia debebat talē sententiam ferre, & esse contentus suis rationibus, quæ illi obveniunt. Vndē si quis vendat id, quod ex iustitia aliās tenetur facere, & gratis; malè vendit, & iniustè: & sic non potest facere pretium suum, & tenetur ex iniusta actione, nisi alius gratis remittat restitutionē. Agunt de Restitutione passim Doctores in ma-

teria de iustitia & iure. Less lib. 2. cap. 7.
disp. 4. &c. Azor. tom. 3. lib. 5. Filliuc tom.
2. tract. 32. Tolet. lib. 5. c. 17. &c.

De Mutuo, Commodato, Locato, &
Deposito, & Pignore.

21 **O**Ritur obligatio etiam ex Mu-
tuo, Commodato, Locato, &
Deposito, quæ differunt inter se: nã Mu-
tuum est pecuniæ, vel alterius rei cum
trãslatione dominij, ad tempus restitu-
endæ in æquivalenti. Cõmodatum est,
cũ conceditur alicui gratis ad tem-
pus vsus alicuius rei sine translatione
dominij. Locatum est, cũ conceditur
vsus alicuius rei sine translatione domi-
nij ad tẽpus, sed adhibito aliquo pretio.
Depositũ est, cum traditur aliquid alteri
custodiendum absq; vsu, siue cũ pretio,
siue sine pretio. In mutuo, si res perit
perit mutuuario, tamquã domino. & in
omni euentu tenetur ad restitutionem.
In alijs semper res perit domino, & non
est obligatio restituendi: nisi pereat cul-
pa eius, cui data est res in depositum,
(nisi sit depositarius ex publico officio,
qui

qui tenetur in omni euentu,) vel commodatum, vel locatum. Et quidem, si culpa sit grauis, tenetur ad integrum damnum: si leuis, ad aliquid arbitrio prudentis viri: si nulla sit culpa, ad nihil. Culpa autem alia est Theologica, alia Ciuilis, seu Legalis. Prima est cum peccato, secunda etiam sine peccato: cum scilicet in opere externo aliquid defuit ad debitam custodiam, etiam si sine peccato id contigerit. Et quidem in foro conscientiae ad restitutionem requiritur culpa theologica: at in foro externo culpa legalis.

22 Ex hoc sequitur, quòd si alicui eodem die fuerit data pecunia mutua, & commodatus liber, & statim per latrones hic fuerit spoliatus vtroque; tenetur ad restitutionem pecuniae, non autem libri: quia pecuniae erat dominus, non autem libri: res autem perit domino: & sic de similibus.

23 Si quis pecunia deposita iudat, & lucretur; non tenetur restituere lucrum: quia fuit fructus merè industrialis. Si quis vtatur deposito, aut locato ad alios fines, quàm fuerit datum à domino, &

res ea de causa pereat ; tenetur ad restitutionem : quia excessit modum depositi, & locati: & similiter, si fuerit deteriorata, Agunt de his contractibus *Azor. tom. 3. lib. 7. Filliuc. tom. 2. tract. 34. par. 1. c. 1. 8. & 10. & tract. 36. c. 1. &c. Tolet. lib. 5. cap. 30. &c. Bonac. to. 2. tract. de contr. disp. 1: q. 3. pun. 9. & disp. 3. q. 3. initio, & q. 13. & 15. & q. 7. initio.*

24 Ad commodatum reduci potest precarium: est enim precariū illud, quod precibus petenti conceditur ad usum tam diu, quam diu is, qui concessit, reuocauerit. Et quoad restitutionem sequitur leges commodati: de quo *Filliuc. to. 2. tra. 34. c. 9. Azor. to. 3. lib. 7. c. 3.*

25 Huc etiā reuocatur Pignus, quod alicui datur ob securitatem alienius solutionis debitæ: habet enim quamdā rationem depositi in gratiam depositarij. Quod si pereat culpa habentis pignus, est obligatio restituendi: si verò iniuste pignus retineatur, & pereat quocumque modo; erit obligatio restituendi propter iniustam detentionem: nisi fortè etiam periisset, si fuisset restitutum domino. Huc etiam accedit hypotheca: quæ

quæ est quoddam pignus immobile, v^t
ager, vinea, domus, &c. Agūt de pigno-
re *Bonac. loc. cit. q. 10. Less. lib. 2. cap. 8. dub.*
5. Azor. loc. cit. tit. de pignor. Fillinc. tom. 2.
tract. 38 cap. 9.

De Usura.

26 **S**equitur etiam restitutio ex usura.
Est autem usura lucrum pretio æ-
stimabile, per se seu principaliter proue-
niens ex mutuo. Nam natura mutui
hæc est, vt nihil ex mutuo accipiat mu-
tuans, sed gratis det mutuuum: dicitur
per se, seu, principaliter, quia ex alijs ca-
pitibus posset qui dat mutuuum, aliquid
ex isto habere ultra sortem: nempe pro-
pter damnum emergens, & lucrum ces-
sans; non autem per se præcisè ex mu-
tuo. Differunt autem damnum emer-
gens, & lucrum cessans. Primum est,
cum ex mutuo, seu quavis donatione
pecuniæ cogor subire aliquod damnum
subsequens necessariò ad talem dona-
tionem: v. g. ego ex hac pecunia, quam
do mutuam, volebam redimere bullã,
propter quam soluo decem quouis
anno,

anno,